EXCERPTUM EX OPERIBUS LATINIS DEMETRII CANTEMIRI

Vajvodae Moldaviae Imperii Romani et Rüssiae Principis, Membri Accademiae Berolinensis et Petropolitensis, qui reguavit Anno 1710.

JASSIIS

In Typographia Apis

1833:

Sermo Stephani Magni Principis Moldaviæ ad filium suum et Magnates.

Annales Moldaviae referunt quod anno Dmni 1504, Stephanus Magnus, post regnum quadraginta septem annorum et quinque mensium, post mille gloriosa facta, et continuas victorias relatas super Turcos, Tartaros, Hungaros, Polonos et Valachos, cum se sentiret debilitatum corpore at non animo, cum sibi tandem mortem instantem videret, vocavit ad se filium suum, unicum Coronae suae haeredem, eique, praesentibus Aulae suae proceribus, haec verba dixit: » O mi fili Bogdan! vosque omnes amici et socii, tantorum triumphorum consortes, paratum me ad solvendum naturae tributum videtis, omnis transactae vitae meae gloria pulchrae similis est umbrae, quae in tenebris evanescit; nunquam amplius datur reditus mortali, qui vermis terreni instar, ad tempus, vitae semitam peragrat; ad vindicanda sua jura mors venit; enim vero alia est et non haec causa mei

terroris. Scio equidem, natale meum momentum, primum fuisse gressum quem feci ad sepulchrum. Quod me consternit est anxia sollicitudo, videre circa vos rugientem illum leonem, sanguinis Christianorum avidum Solimannum, qui huic regno ruinam minatur, et ad occupandum omnes adhibebit conatus. Artificiis suis et strtagematibus jam maximam regni Hungariae partem obsorbsit; Tauridem, quae nullum adhuc extraneum dominum norat, violentis subjecit viribus, sibique adjunxit introducta in eam Mahometana superstitione; Besserabia violentiarum suarum theatrum fuit; et Valachi, qui nostri quidem inimici, tamen Christiani sunt nostrum instar, sub servili hujus Tyranni jugo gemunt; verbo, nobilissima pars Asiae et Europae ejus paret legibus. Throno imperatorum Romanorum non contentus, insatiabilem ambitionem extra omnes tendit limites, corde suo dominium omnium terrarum amplectens. Tot provinciis subjectis, et impedimentis superatis creditis ne illum parcaturum Moldaviae sitae ad suas oras, et undique provinciis suae dominationi subjectis circumdatae? Timendum potius ne illico tota subacta

Hungaria super nos praeceps totis viribus irruat: Odit enim Christianos, et haec implacabilis ira per Alcoranum ei praescripta, ex corrupto ejus animo emanat. Ad vicinos vix oculos vertere possum quominus res et infelicem eorum statum deplorem. Nihil nobis a Polonis sperandum, sunt enim inconstantes, et ad resistendum Turcis incapaces; Hungari se ipsos in vincula conjecerunt; Germania est adeo domesticis negotiorum curis involuta, ut ei nec voluntas nec vires sint ad participandum iis quae extra suos geruntur limites. Itaque considerando tristem statum omnium nos circumstantium regnorum, puto eam nobis superesse viam, ut inter minantia mala, id praeferamus quod ad ferendum magis aptum videtur. Bene sapiens Navarchus sua nunquam tetendit vela contra tempestates et procellas: Confidere nostris non possumus viribus; aliena procul sunt auxilia et incerta, periculum imminens et insuperabile: Cedendum est ergo, et placanda potius atrox illa bellua, quam armorum strepitu ad furiam provocanda. Nostra submîssio non dissimilis erit aquae, opportune diffusae super hanc quam erupturam videtis flammam.

Praeter hoc nullum aliud video remedium ad praevertendam nostram ruinam. Quapropter vos, ultimis his vitae meae momentis, omni paterno amore exhortor ad enitendum pro conficiendis vestris cum Solimanno conditionibus. Ab eo si Ecclesiasticarum et civilium legum conservationem obtinere potueritis, hoc semper erit honsetum pacis pignus, id etiam si titulo Suzerenitatis fiat. Majoris nobis erit emolumenti, ejus clementiam, quam gladium experiri. At si contra, alias ille sit praescripturus conditiones, haud cunctandum erit, manibus ensem mori potius in defendenda religione et liberanda patria, quam in praedam nostri inimici utramquae derelinquere, ejusque turpiter spectare triumphum, nec quidquam dubitare debetis, quin Deus parentum nostrorum, unicus miraculorum fons, ne se unquam servorum suorum flecti sinat lacrimis et impertita abunde super vos gratia, quemdam vobis non sit suscitaturus Salvatorem, qui vos aut saltem vestram posteritatem jugo liberet, vobisque pristnam restituat potestatem"